Mazurkowicz Valent. Joan: S. Thomas Aquinas, Doctor Angel., lucidissimus corporis Ecclesiae mystici oculus.

S. THOMAS AQVINAS
DOCTOR ANGELICVS,
Lucidissimus Corporis Ecclesiæ Mystici
OCVLVS.

Anniuersario eius die,

IN PERAVGVSTA SS. TRIADIS BASILICA CRACOVIENSI.

Florentissimæ Nobilissimorum Auditorum Coronæ, pio venerantis Suadæ officio.

À

M. VALENTINO IOANNE MAZVRKOWIC,

DEMONSTRATVS.

Anno exorti iustitiæ Solis, 1662. Die 7. Martij.

SVPERIORVM PERMISSV.

CRACOVIÆ,
In Officina Apud Heredes STANISLAI LENCZEWSKI,
BERTVTOWIC, A.D. 1662.

In Gentilitium Stemma.



Sedibus ætherijs veniens nitidiſſima virtus
Quæſijt in terris tuta quiete frui;
Aſt vbi ſidereos huc, illuc flexit ocellos,
Ingemuit tectos cuncta tenere dolos.
Iamque dolens rutilas cæli remeabat ad oras,
Cum ſe PRVSSORVM pandere viſa Domus;
Huc ſimul illapſa eſt,& candida corda Virorum
Vidit iuſtitiâ, relligione, fide.
O mihi vos (inquit) dulces ſaluete penates,
Huc diuertentem, nulla pericla manent.
Dixit: & à Labaro quod geſſit ſigna reuellens,
Lætior huic niueam contulit ecce CRVCEM.
Iam ſcio: bella cupit fraudi violenta parare
Hanc ſibi Signiferam deligit ergò Domum.

Magnifico ac Generoſo Domino,

D. IOANNI

DE STRADOMIA,

STRADOMSKI,

Heredi in Dźiałoſzyce & Szczucin, &c. &c.

Dńo Patrono & Mecænati meo Ampliſſimo S. & P.

AD benignitatis Tuæ perennem & irriguum fontem eo, & in tutelam Tuam, hunc ingenij mei partum ablego; ne in manus hominum veniens ſine Lare vel Genio erret MAGNIFICE *ac* GENEROSE DOMINE. *Ne mireris huc mihi digitum intenderunt Nobilitas Tua, Virtus: illa antiquiſſima ſplendidiſſimaquè; hæc integerrima. Naſci genere illuſtri, & à Clariſſimis Maioribus, ortus ſui ſplendores longa ſerie deducere; primum & amplum eſt. Et benè nonnemo, Natales Fortunæ pedes appellauit: niſi quod hi pedes ſi virtutis vtraq; manu non fulciantur, vix vnquam ſine lapſu progrediuntur, & cum volubili ſua Domina ſæpiùs exerrant. Virtute eximia vulgo ſeſe eximere, & duro laborioſoq; certamine malignitatem ſortis vincere, ad melioremq; ſeſe fortunam non perducere, ſed extrahere; multò amplius eſt. Et veriſſimè Stoicus: Animus facit nobilem, cui ex quacunq; conditione ſuprà fortunam licet ſurgere: niſi quod rariſſimè tamen iſtis meritas indulgentiæ vias aliena relaxat humanitas, quibus nullam apud poſteros maiorum virtutes ſtudijs ſuis & ſuffragijs viam, ad beneuolentiam conciliandam munire poſſunt. At quiſquis egregios mores cum Claris Maioribus coniunxit, quiſquis in ſuorum Natalium laticem vitreo virtutis alueo influxit, quiſquis ex ampliſſimo ſuorum patrimonio imprimis poſſeſſionem virtutis inuaſit: is verò ad ſummum laudis & honoris apicem, comitante cunctorum plauſu facillimè poteſt eluctari: & ſi quas inuidia tenebras, ſi quam caliginem molita fuerit, eam geminâ virtutis nobilitatiſque face diſſipare. Hoc Tu agis Virtutibus Tuis ampliſſimus; ſed quia tales Maiores habuiſti: immò hoc Maiores Tui agunt in Te, quorum virtutes, quidam veluti epilogus collegiſti. Si tranſibo ad extremas Vetuſtiſſimæ Gentis Tuæ lineas, & memoriam Virorum, quos ea edidit luſtrauero, tam eximias eorum animi dotes, non poſſum niſi cultu prolixiſſimo venerari. Ecce enim ab annis iam circiter ſeptingentis in Polonia noſtra* CRVX *Tua puriſſimo nitore fulget, & à Ducali Pruſſorum Sanguine exoriens, nitidiſſimo lumine ſereniùs in Sarmatico Polo ſplendeſcit. Didicit enimuerò in Sanctiſſimo illo Præſule* STANISLAO, *huius inclytæ Gentis æterno Sole nunquam caligare, qui ſtupenda virtute ſordes maculaſque ſui æui, immò totius Poſteritatis Polonæ diſſoluit & diſperſit. Ne in illis offuſis aduerſæ ſortis nebulis, ab ominoſi nominis Rege* BOLESLAO *Audace Polonia priſco ſplendore ſpoliaretur,* CRVCIS *Veſtræ lumen candidiſſimum fecit: dum in Sanctiſſimo Antiſtite mille virtutum radios, in afflictam Patriam ſparſit, mille Heroicæ infractæ fortitudinis fulmina in ſæuientem illum Briareum contorſit. Ferre mala potuit calamitoſiſſima Reſpublica; quia à* CRVCE *Veſtra lenimen omnis doloris deſumebat: non diuque ex vniuerſis ſuis membris crudeli Regis dextera eductum ſanguinem fluere ſenſit; quia hoc feliciſſimo ligno, quod omnibus Palæſtinæ balſamis efficaciùs valet, ad medendum cunctis vulneribus, iam tunc non fuit deſtituta. Neq; verò tum ſolùm ſplendorem ſuum ſalutemque Polonia* CRVCI *Veſtræ debuit, ſed cùm rurſus A. 1227. Plocenſis tractus à Pruthenis tum temporis miſerrimè vaſtatus, iam iam hoſtilibus flammis deflagraturus videretur, metuen-*

do illis

do illi incursui Respub. CRVCEM Vestram velut vallum ob:ecit, & in GVNTERO Episcopo Plocensi certissimam opem ab ea implorauit. Qui Vir maximus contra Fortunam inuicto animo assurgens, neque minùs Pastorale pedum, quàm Imperatoriam Clauam suâ manu tractare sciens; magnâ parte exercitus collectâ hostes abeuntes insecutus, eorum perfidiam egregiè vltus est: & munitissimo Castro DZIERZGOW intercepto, docuit re ipsa; Crucis huius oppositu ruinas Patriæ auerti, clades aduersitatesq; frangi posse. Non memoro alios THOMAM dictum THOMKA, vigesimum secundum Episcopum Plocensem, qui cum esset diuini cultûs propagator inexhaustus, reditus illius Episcopæ auxit, & in animis mortalium æternum sibi construxit monumentum. Prætereo THOMAM STRZEPINIVM Theologiæ & Iuris Doctorem, Cracouiensem Episcopum, Regni ViceCancellarium, quem cum natura, Suada, Sophia, ob ingenij, eloquij, doctrinæ cultum, summis imisq; fecisset gratissimum, magis tamen inaudita moderatio exornauit: dum post immensos profusos sumptus, quos diuinæ gloriæ magis amplificandæ impendit, officium Pastorale, infirmitate diuturnâ vexatus, alteri resignauit: ambitionisque illud feruentissimum vitium quod vltimum à mortalibus, nec nisi cum vita exuitur, stupenda Posteris fortitudine conculcauit. Silentio veneror & STIBORIVM, itidem Episcopum Plocensem, in omni genere literarum excultum, & ob incredibiles virtutes inter optimos atque innocentissimos numerandum. Hæc sunt PRVSSORVM Gentis decora: quæ rursus velut fons perenni lympha scaturiens in plures diffusa riuulos, mirâ felicitate in ijs nec saporem suum, nec magnitudinem, semel continuis cursibus ab origine sua pullulantem, sibi sensit abnegari. Exempla longiùs accersere, & in Polonia tota sparsas per argenteos virtutis canales, huius fontis venas in angustam dictionis meæ scatebram cogere nolo: STRADOMIANA Tua inclyta Familia satis mihi illustre porrigit documentum. Plenâ laude effulget, & in oculis æui est, CHRISTOPHORVS STRADOMSKI, Vir omni prædicatione ad Posteritatis memoriam transmittendus, de quo, quàm præclara iudicia Polonia fecerit, illud satis euidenter ostendit, quod ei suam animam, id est leges, in manus tradidit: & cum eo tempore, quo Respublica iustitiæ egebat, instructissimum bonis artibus animum haberet, eum elegit potissimùm, qui recens exorto Tribunali primus cum Officio & potestate Supremi Iudicis præsidens, à malignitate iniquitatis sæculum vindicaret. Incurrit in aspectum gratissimæ Posteritatis, & pectoribus cunctorum illabitur MARTINVS STRADOMSKI, SS. Regum, AVGVSTI & STEPHANI, intimos affectus promeritus: in quo cum retroactæ ætatis Heroum, omnes propè animi opes cernerentur, dignissimus inuentus est, cui Catharinæ Reginæ, Augusti Regis Sororis in Sueciam deducendæ, cura demandaretur; cui postea, raro honore, à Regina leuandi de Sacro Baptismatis fonte SIGISMVNDI III. moderni felicissimè regnantis & vincentis, SS. Nostri Regis Patris, negotium committeretur; cui redeunti in Patriam, ab illo toto oculeo, & discernendi mirâ quadam promptitudine excellente Rege STEPHANO, grauissimæ legationis munus ad RVDOLPHVM Cæsarem committeretur. Neque minùs postea grande illud togatæ & armatæ prudentiæ miraculū, omnibus Heroicis laudibus cumulatissimus SIGISMVNDVS III. Stradomianam virtutem æstimauit: qui cum in hoc Viro, quem memoro, cultissimas ingenij dotes, consilij felicissimam dexteritatem, doctrinæ & eloquentiæ pulcherrima ornamenta, feruentissimum in Patria iuuanda studium satis nosceret: eidem Oppidum DVNAIOW, & alias quasdam Villas perpetuis temporibus donauit, præclarissimo elogio testatus, se id ingentibus eius virtutibus iam pridem debuisse. Alios rursus Fratres, IOANNEM, SIGISMVNDVM Subpræfectum Sædecensem, CHRISTOPHORVM Subpræfectum Olßtinensem, Viros ob incredibiles mentis dotes, in amoribus ac delicijs omnium habitos, & Nobilissimis relictis Filijs celeberrimos, virtutis præconio committo: nisi quod in sui admirationem, strictim progredientem Suadam meam rapit MELCHIOR, Heres in Szczucin, STRADOMSKI, Tuus MAGNIFICE D. Proauus; cuius egregiam indolem, dulcissimos summæ virtutis fructus, candorem, lenitatem, amorem in Patriam, tantopere in Polonia omnes boni suspexerunt, vt etiam OCIESCIORVM nobilissima, & publicè gestis honoribus Clarissima Familia, laudi sibi duceret Sacro connubij fœdere, cum hac Familia sociari. A tali Patre, non potuit nisi simillimus prodire Filius, IOANNES Auus Tuus, quo Viro vix vlli mortalium, melior mentis aura à natura fuit infusa. Nam cum puro & incorrupto rore per longas Stemmatis flexuras à Maioribus deriuatam virtutem hausisset; eam in Filios, NICOLAVM & MELCHIOREM Parentem Tuum refudit. Et NICOLAVM quidem Zorauicensis sibi vendicauit hereditas, Virum totum ad augendam Familiæ suæ claritatem animo promptissimo excubantem; nisi inimica magnis mentibus valetudo inflammatum honestissimo studio ardo-

rem re-

vem restinxisset, & Martium illud pectus continuis morbis expugnâsset: Felicem tamen vel in eo solo, quod in Filio MICHAELE Viro ingenio, industria, eruditione, candore, probitate, raris hoc æuo virtutibus ornatissimo superstes, adhuc de Patria bonisque omnibus eximiè mereatur. MELCHIOREM porrò Parentem Tuum Szczucini dilecta Sedes ad se traxit, ob eximias actiones, fortitudinem in bellis, prudentiam in pace, meritò summis Magistratibus admouendum: nisi ille, quâ fuit vi animi, honores mereri maluisset; quàm captare: & inimicum fatum Virum Tithoniâ Senectâ dignissimum, in ipso ætatis flore, curis mortalibus exemisset. Nobilitatem igitur Gentis (& nondum præclarissima Maternæ LIGEZARVM Prosapiæ decora ad calculum vocaui) in Te eximiam quis neget? nisi quod Tu pro Tua modestia splendores Maiorum Tuorum repræsentare mauis, quàm iactare. Pacis militiæque memoriâ inclyti Maiores Tui, lucem in Te deriuant, quâ fulgeas; sed lucem ad Maiores Tu quoque reflectis, quod ab eorum virtute non degeneres. Si candorem Tuum aspicio; pectore moribusque niueus es, ac planè lacteus. Vt in Superis illis plagis puri & perennes ignes sine fumo lucent: ita Tuus animus altâ & ætherea naturâ imbutus sine fuco & caligine pectus habet. Si magnanimitatem; nunquā vllis fortunæ telis succubuisti, & quasi à Gentilitijs CRVCIBVS duritiem mutueris, aduersos casus nec times, nec prouocas. Si naturæ lenitatem; nondum me hucusque audijsse memini, an quispiam de Te questus fuerit: ita affectu cum honestate nudo sine vllis fallaciæ lecythis omnium animos tibi deuinxisti. Si clementiam; cum eorum, qui Tibi subiecti sunt, Dominus sis, suauissimo tamen nomine Pater mauis appellari. Si pietatem; stupui ipse, dum vidi, quantò eius studio tenearis: quanti Sæcularem Religiosumque Clerum facias, quem sub suauissimam Domus Tuæ vmbram diuertentem incredibilis Tua humanitas statim excipit, quem abeuntem ad sua Templa Monasteriaque liberalitas Tua comitatur. Si moderationem; non vanitatis sed virtutis instrumenta, facultates à Deo Tibi commissas habes: nec vnquam nisi dum in pauperes spargenda Tibi Tuæ missilia benignitatis prodigus videris. Iam verò vt Tuæ vitæ, ita virtutis consortem habes Clarissimum piarum Matronarum speculum MAGDALENAM de Zakliczyn Illustri IORDANORVM Stirpe progenitam, quâcum in summa concordia hoc vnum Tibi certamen est, vter virtute præstet, maiorique molimine ad Dei proximique charitatem feratur. Itaq; Templa quæ à Vobis compluribus in locis nouis assiduè donarijs exornantur, vtriusque iungunt nomen, liberalitatem loquuntur: Sacra itinera quæ solenniter suscipitis, gemino labore, immò vestigio pietatem testantur. Quam illa quoque reuerentiam summis imisque præstat, cum ipsa summam mereatur: quot quantasque virtutes ex diuersis ætatibus sumptas collegit & miscuit! Quâ patientiâ afflictam nonnunquam valetudinem tolerat, vt procurrit ad mortem, & duci se permittit, quò diuinæ prouidentiæ fuerit collibitum. Quâ animi magnitudine omnia ad conscientiam nihil ad ostentationem refert. Qua solicitudine pupillos pauperesque domum suam conuocat. Quâ prudentiâ omnia minima maximaque Domi suæ instruit, dirigit, expendit, quasi ab ipsis laboribus quietem otiumque trahere videretur. Mitto reliquas integerrimæ naturæ laudes, & meæ modestiæ memor ampliùs etiam Vestræ tribuo, quàm cæteræ virtutes mereantur. O beatam sobolem, cui contigit vnum atque idem, optimum & coniunctissimum exemplar, quæ eos potissimum imitandos habet, quibus natura esse simillimos voluit. Hac via mei Iuuenes, GEORGI, ALEXANDER, MICHAEL, ANDREA, & Tu Parentum delicium tenella CATHARINA, ite; hoc gressu in famæ lucem tendite, & capita inserite, splendidissimis virtutum radijs & doctrinæ. Augur sum Clarissimæ Familiæ splendorem magis intendetis, & gloriam Maiorum Vestrorum, sparso virtutis semine per Poloniam propagatam, in Reipublicæ & Ecclesiæ horreum collectam, copiosiùs inferetis. Ast quo feror! abreptus contemplatione virtutis Vestræ, iam propè extra cancellos euagari cœpi: redeo, munusque meum quod offero, reuelo. Diuum laudaui; & hoc satis, vt pietas placeat. Doctorem Angelicum laudaui; & hoc satis, vt conatus probetur. Pro viribus meis laudaui; & hoc satis, vt tenuitas excusetur. Hoc scriptum duplici fine in manus hominum ablegare volui. primò, vt meum in SS Patronum affectum testarer: nam quamuis hic in ore, in sermone sit omnium, nec maiorem à quouis accipiat famam quam habet, gaudet tamen ingenia humana (vti & diuinum illud Numen) suo elogio occupari. Alterum, vt meum in Te officium declararem: nam cum Tuæ nobilissimæ sobolis institutioni intentus, permulta Tua in me beneficia experiar, ingenui animi esse existimaui, vt cui satisfacere nequeo, eidem plurimùm me debere agnoscam. Securiùs fortè fecissem, si scriptum hoc, tanquam deformem, partum in cunis adhuc præfocâssem, neq; publicæ eruditorum hominum censuræ subiecissem, quibus nihil placet,

nisi ad lucernam Aristophanis, vel Cleanthis elucubratum: sed nescio quomodo præcoci quadam celeritate ad Te festinabat, & à CRVCIS Tuæ Gentilitiæ radijs, contra tædia lectorum, certum sibi auxilium ominari videbatur. Credo spem certissimam concipiens, neque se à Tuo benignissimo conspectu exclusum iri; cuius insigni patrocinio suus auctor singulariter protegitur, & has qualescunque literulas, altrices adolescentiæ suæ, fidissimas omnium temporum suorum comites, dulcissimum cuiusuis fortunæ lenimen & oblectamentum, adhuc tractat: neque à lectoribus ad tenebras se relegandum; cui desideratissimum CRVCIS Tuæ iubar sanctiore auspicio serenius illucescit. Quod si quis fortè reperietur qui dicat, non oportere paruis ac tenuibus muneribus magnas gratias rependi, in huius ego sententiam libenter manibus pedibusque iuero; sed neq; tamen id omnino exiguum censendum dicam; magnitudinem obseruantiæ paruo licet munere, ingenti tamen animo profiteri. Neque enim semper (ait disertissimus Symmachus) munera pretio aut mole æstimanda; sed amore & affectu pendentis. Itaque (vt verissimè Seneca loquitur) non quid fiat, aut quid detur refert, sed qua mente. Quia munus omne non in eo, quod fit, aut datur, consistit; sed in ipso dantis aut facientis animo. Sicut non in victimis, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos; sed in pia ac recta voluntate venerantium: ita & in muneribus animus est, qui parua extollit, sordida illustrat, & alioquin informibus amabilem confert venustatem. Quod ego in hoc quoque meo scripto spectari volo, quod licet tale sit, vt in eo omnia illa sint scriptionis delinimenta requirenda, quibus lectori quodammodo vis infertur, vt seposito omni fastidio lectioni vacet: ceterùm eo est à me animo conceptum, eo mittitur, quasi & apud homines sit gratiam inuenturum; & mei in Te officij, gratitudinis, obseruantiæ, expressa in animis legentium signa relicturum. Cape igitur illud MAGNIFICE DOMINE eâ humanitate, qua me semper prosequi dignaris, ea alacritate, qua à me offertur; nec tam quid Tuæ amplitudini conueniat, quàm quid à me præstari possit, expende. Et quoniam candidæ Gentis germen es aureum, candidam Tibi vitam annorum honorumque canitie albicantem, nec vnquam nisi CRVCI Tuæ concolorem, id est, nulla aduersa nube sortis obscuratam, apprecor.

Magnificæ Tuæ Dominationis,

Cliens deditissimus,

M. VALENTINVS IOANNES MAZVRKOWIC.

OCVLVS ECCLESIÆ.

SI pietas, ſi ſapientia SS. Doctoris Angelici hodierno die in conſpectum Veſtrum prodire, beatiſſimoq; illo ſuo aſpectu mẽtes Veſtras recreare poſſent, Eximij, Clariſſimi, Religioſiſſimi, Excellentiſſimi, Nobiliſſimi AVDITORES: dubitandum non eſt, quin & cæleſtis ille vultus, in quo perfectiſſima omnium virtutum collectio habitabat; & auguſtum illud caput, in quo abſolutiſſimus omnis ſapientiæ theſaurus continebatur; & manus, tot diuinorum operum molitrices; & oculi altiſſimarum rerum ſpeculatores; & pectus inexhauſtæ eruditionis abyſſus: iam nunc me à SS. Doctoris laudibus abſoluerent; iam nunc pro ſe tacitâ licet eloquentiâ, multò tamen efficaciori, quam Tullianâ perorarent. Etenim ſi virtus licet exigua ſit, tamen non obſcura ſui ſigna mittit; tamq; amabilis eſt, vt etiamſi in nocte, in tenebris occurrat nobis, pronis eam atque effuſis vlnis, cum immenſa quadam, atque incredibili voluptate, amplexuri ſimus: ſi doctrina quamuis tenuis, tam mirabile ſui excitat deſiderium, vt contemni non poſſit; tàm venerabilis eſt, vt etiam à peſſimis honoretur: nec vnquam (iudicio Romani Sapientis) in tantum conualeſcet nequitia, nunquam ſic contra virtutes coniurabitur, vt non Philoſophiæ nomen, ſacrũ maneat: quid iam faceret, SS. Doctoris illa Sanctitas, in qua omnis generis atque ætatis virtutis exempla propoſita conſpiceremus: illa Sapientia, quâ ille omnia quæ cæli ambitu continentur, inuſitato prodigio comprehendit: illa nominis magnitudo, quâ orbem impleuit vniuerſum, quâ vaſtam profunditatem temporis adæquauit. Equidem ſi facta cum mira ſunt amorem inuicem creant; videre mihi videor, iam nunc omnes certatim ſeſe fuiſſe effuſuros, vt dulciſſimam ac ſole ipſo iucundiorem Doctoris Angelici faciem contemplarentur; iam nunc omnes cupidiſſimos ſuos oculos vibraturos fuiſſe, vt iubar hoc Splendidiſſimæ Religionis, decus Italiæ, magnũ lumen Eccleſiæ, vnicum & memorabile orbis vniuerſi delicium, hilares atque erecti magniſque lætitijs incedentes ſpectarent: iam nunc omnes immortali quodam gaudio exultaturos, poſteaquam diuini, huiuſce Viri in omnẽ corporis ſuperficiem, per oculos, faciem, totumque corpus, rutilum ſolis imitata colorem, cum Gratijs omnibus ſapientiæ & virtutis indicia abundè profuſa intuerentur. Sed quoniam SS. Doctoris cælo recepta mens in argumentum admirabilis gaudij, in terras iam deduci non poteſt, per haſque oculorum noſtrorum anguſtias, mortalis viſus contagium refugiens, aſpici dedignatur: faciamus quod peregrè proficiſcentibus cariſſimis amicis facere conſueuimus, vt dum nobis negatur in dulciſſimo eorum aſpectu conquieſcere vocis ſaltem obſequio diuturnam eorum abſentiam conſolemur: ita

nunc quam non poſſumus ex SS. Doctoris pluſquam humana pulchritudi-ne voluptatem mutuari, recordatione eius virtutis ſapientiæque delibemus. Quanquam tu etiam SS. Doctor, ne tuam abſentiam deſideraremus prouidiſti, quando tot pulcherrima ingenij tui monumenta ideas ac exemplaria diuinæ mentis reliquiſti. Nunquam nobis non vacas, nunquam venientes ad te, non beatiores amantioreſque dimittis: noctu conueniri & interdiu potes, ne fruſtra annos noſtros conterere videreris tuos nobis contribuiſti. Ferimus ex Tua familiaritate quantum volumus; per Te non ſtat quominus cum plurimum ceperimus, hauriamus. Neminem à ſe Tua benignitas excludit: licet Tecum de minimis maximiſque,rebus deliberare; licèt quotidie conſulere: licèt à Te audire verum ſine contumelia; laudari ſine adulatione; licèt ad Tui ſimilitudinem noſtros mores conformare. Sed ô noſtram infelicitatem! ad tanta bona percipienda oculos amiſimus, &(quod miſerius eſt) nos cæcos eſſe ignoramus. Alium ambitio cæcat,alium auaritia,alium luxus, alium dolor, alium liuor: breuiter praui affectus & vernaculæ animi perturbationes; noſtræ tenebræ ſunt: ſcelera oculorum glaucomata, quibus hoc etiam accidit mali, quod opinionis freno ſiue capiſtro regimur rectæ rationis obliti. In clariſſimis hallucinamur, in facillimis labimur, in planiſſimis impingimus,ſi rectè calculum ponimus, nuſquam videntes ſumus. Ita meritò calamitatem noſtram deflere, & pectori omni licitæ voluptatis commercio interdicere deberemus, niſi (O quæ noſtra rurſus felicitas eſt) Oculum in SS. Doctore inueniremus. Vultis dicam clariùs? SS. Doctorem Angelicâ vitæ puritate, ſtupenda omnis ſapientiæ claritate, Oculum totius Eccleſiæ, fuiſſe foreque quamdiu immenſis ille æternitatis voluetur circulus deprehendi, quo ſi quis vſus fuerit, nunquam Solis indigebit. Cupiebam quidem SS. Doctor Atlantico robore firmari, & Toti me Tuæ ſubſternere Maieſtati, vt ſic inter exultantis ſapientiæ Tuæ triumphales plauſus conſtitutus, totius eloquentiæ viribus, laudes Tuas ad æternitatem Tibi ſacram promouerem; ſed non mortale erat, quod optabam, neque tanto onere tenuitas mea poterat exerceri. Quid igitur? exilem vocem meam compendio ſapientiæ,& virtutis Tuæ occupabo: & immenſam vtriuſque baſim, Oculum & ipſe imitatus in puncto attingam. Tu gaudebis illis impleri ſermonem meum; & quamuis certiſſimis immortalitatis præconibus libris Tuis eas cōmiſeris; tamen in meo ſermone velut in areſcente riuulo ad tempus videri non dubitabis. A vobis A. illud peto, vt quantùm mihi deeſt eloquentiæ; deeſt autem plurimùm; tantùm ab humanitate Veſtra & beneuolentia accedat: ne ſi ſecus fiat, non vnius Viri; ſed ipſius ſapientiæ, ipſius virtutis interceſſiſſe laudibus & commendationi videamini, quæ in SS. Doctore domicilium propè ſibi conſtruxerunt.

Quantùm mihi negotij Oculum appellando SS. Doctorem impoſuerim, vos intelligitis, ego ſentio A. Ne ipſa quidem eruditiſſima Antiquitas dum ſummis & humanum faſtigium ſupergreſſis rebus cognomina paria quærebat, dignius Oculo vocabulum inueniebat. Vidit ſolem Ducem, Principē, & moderatorem luminum reliquorum, mentem mundi, & temperationē, cuncta luce ſuâ luſtrare: & Oculum voce Orphei appellauit. Conſpexit

iuſtitiam

iustitiã societatem coniunctionis humanæ mirificè tueri, communi vtilita-
ti seruire, speculatricem esse & vindicem nefarij sceleris: & Oculum diuini
Platonis ore dixit. Animaduertit Regiam dignitatem in eo sitam esse, vt pu-
blicæ prospiciat commoditati, lapsis subueniat rebus, impendentia prouideat
pericula: & satis sese regale officium expressisse existimauit, si subtilissimo
inuento Ægyptio Oculo sceptris præfixo, sui eos officij admoneret. Agno-
uit præstantem illam, æternam, suspiciendam, admirandamque humano
generi potestatem, Deum videlicet, omnia prouidere, vim suam longè late-
que diffundere, bonitate sua cunctis consulere: & solertissimi Plinij sensu to-
tum visum nominauit: aut, vt antiquiora repetam sæcula; Solem qui omnia
videt & omnia audit, magni illius Homeri, ex quo tanquam Oceano omnes
scientiarum riuuli profluxerunt, disertissimo ore promulgauit. Ne hic Sa-
crarum literarum, inuiolatam authoritatem in testimonium citem, quæ nũ-
quam crebriùs, quàm sub oculorum Symbolo omnisciam & peruigilem Dei
curam nobis depingit. Ita omnes præstantissimarum rerum laudes Oculus
sibi vendicat, & cùm in omnibus mirabilem Oculi dignitatem consideraue-
ris adhuc in eo multò plura laudum reperies argumenta. vt iam mihi quo-
que meritò ignosci debeat, si nec totum Oculum delineabo; vt SS. Doctorẽ
laudem: nec Totum SS. Doctorem laudabo; vt immensitas vtriusque ipsa
deficientis facundiæ meæ paupertate declaretur. Caput huiusce Oculi, dixe-
rim potiùs animatum cælum (quando maximo Doctori animas iustas &
Sanctas, cælum in quo DEVS habitat libuit appellare) Celeberrimam Reli-
gionem Dominicanam non tango, neque veniam hic peto. Tuus splendor,
dignitas, amplitudo, Religio celeberrima, quæ tot cælo Diuos, tot orbi Do-
ctores, Antistites peperisti, non à mea dictione: sed à sæculorum serie, à con-
scientia mortalium, à rebus toto orbe gestis, à Tuorum Scriptorum eruditis-
simis calamis, à perennibus annalium monumentis exigenda sunt. Quæ vt
cæteros omittam, Albertum Magnum, in quo orbis Platones, Socrates, Ari-
stoteles, totam Academiam, totum Peripatum stupuit reuixisse; Thomam
de Vio Caietanum tot scriptis inclytum clarumque; Henricum de Ganda-
uo Doctoris Solennis elogio decoratum, orbi dedisti. Ac ne Italiam qui-
dem ad vsque inuidiam aliarum nationum pulcherrimam, totiùs orbis com-
pendium, Paradisum terrestrem; nec Aquinaticæ Familiæ continuata per
multos annos decora celebranda reor: ne illius causâ alia dicantur, cuius
omnia dicturi sumus. Sed Deo optimum videbatur, partim vt nonnisi tan-
tis Parentibus nasceretur tantus; partim vt qui tantus esset, in capite Eccle-
siæ, in te cultissima Italia, in te celeberrima Religio, spectaretur. Palpebras &
supercilia, quibus radij ab Oculo nostro promicantes dirigebantur, quibus
in iuuentute Oculus noster stipabatur; antiquissimam, florentissimam, eru-
ditissimam Benedictinorum Religionem, silentio veneror. Alia quæ de Oculo
magni Viri dixerunt: quæ Galenus ille eruditionis latifundium, omnium
ingenuarum artium commune quasi receptaculum, Oculum organum luci-
dum, solarem animalis particulam, diuinum membrum vocans: quæ Theo-
phrastus ei formæ nomen tribuens; quod sine eo vultus fiat informis: quæ
alij, dum eum partim solem, qui hunc paruum mundum illustrat; partim

primum mobile, quod omnes sensuum inferiorum ordines secum trahit; partim fontem, è quo omnes fluunt venustates; partim centrum, in quod humanarum actionum lineæ desinunt; partim fulgorem, quo pretiosissimus hic orbis Vnio, homo illustratur, affirmarunt, prætermitto; neque in laudes Oculi mei deriuo: & multò mihi plura incumbunt.. Qui intima Oculi scrutantur, atque hoc ærarium diuinæ munificentiæ opulentissimum, curiosiùs introspiciunt, ad laudandam Opificis sapientissimi maximam in eo condendo prudentiam, cunctorum inuocare confessionem nil verentur. Quantum enim est, quod tribus humoribus crystallino, vitreo, aqueo; quod quinque tunicis, araneâ (quam alij specularem vocant) retina (quam alij cum septem neruis opticis coniungunt,) vueâ, corneâ, & adnatâ, nobilissima hæc videndi facultas percipitur: tantum est vt ne ipse quidem Galenus, cuius felicissimè in explicandis admirandis humani corporis partibus ingenium desudauit, omnes Oculi humorum tunicarumq; functiones ausus fuerit explicare. Primùm quod in Oculo in considerationem venit humor crystallinus est, purissimæ glaciei & crystallo simillimus, quem natura in ipso Oculi meditullio collocauit, vt faciliùs spiritus à neruis opticis recipere posset; tùm vt rei obiectæ imago directiùs formari, & vniri, & colligi vndiquaque valeret: destituitq; eũ omni colore, vt celeriùs in eo rerũ visibiliũ imagines efformẽtur. Hac ego Te dote splendidissime Ocule noster felicissimũ fuisse gaudeo, huius humoris primũ amatorẽ, quo virtutis titulo, ex meritò cõsalutem non inuenio. Totus puritas, totus candor, totus nix eras, in quo velut crystallo, ne minutissimi quidẽ vitiorum næui noscebantur. Crystallus erat illibatissima illa mentis pulchritudo, adeò vt nullam in Te maculam etiam lyncei inuidorum oculi aduertere possent. Crystallus erat nitidissima illa & Angelicis nonnisi cœtibus suppar innocentia, quâ vitium ignorare maluisti; quàm declinare. Iam inde à puero feceras tibi familiarem hanc virtutem, quæ est vinculum & firmamentũ omnis cognitionis, cum ab omni æuo obseruatum sit; nunquam veram sapientiam cum scelere commisceri, nec radium cælestis illustrationis per lutosam & cœnosam vitiorũ paludem translucere. Colligebas intra Te hunc humorem, neque per varias vitiorum illecebras dispergebas: sciens optimè nunquam illis benè cum virtute conuenire; nec vllam esse quæ non aliquod nobis vitium aut commendet, aut imprimat, aut nescientibus allinat. Ne Oculus Tuus ad flagitij lippitudinem suffunderetur, solis eum integerrimæ virtutis vndis impleuisti, iam inter homines maior homine, & cum Angelis numerandus. Quantus ille nitor A. quàm amabile quàm lucidũ SS. Doctoris pectus! cum faciè pulcherrimus & animo, vtroque autem suspiciendus, mentis candidissimæ effigiem, ipso aspectu prodebat, ab omni simulatione alienus: mores prauos detortosque non alia de causa odio habens, quàm quod probus esset. Vidisses illum, fronte serenâ, vultu decoro, in minimis etiam accuratissimè circumspectũ, & incredibili sedulitate in eo solo defixum, ne aliter animum exhiberet, quàm haberet: ne simulata specie aliquam intus latentis delicti labem mentiretur: vt semper comitas in aspectu, ingenuitas in verbis, in familiari congressu amabilitas, in omnibus actionibus expressa virtus, cerneretur. Firmabat

mabat

mabat hunc humorem, & in ſua Sede continebat, ne ſitum mutare poſſet, minutiſſimis contexta filamentis, araneâ tunicâ, mirabilis modeſtia & tenerrimus pudor: vt cum plurimis præſtaret; nulli hominum ſe anteferret; cum in ipſo Gratiarum ſinu rore cæleſti educatus videri poſſet; cum ipſum natura finxiſſet, ad omnem amplitudinem, maieſtatem animi, magnitudinem, ad omnes denique ſublimes actiones excelſum & aptum: tamen ad minima mallet inclinari. Neque tamen ſenſim ac latenter indicia promebat boni, cum inuolucra pueritiæ viuido rumperet ingenio; & quales alij paulatim fiunt, talis ille ſtatim à natura factus videretur. Triumphabas hoc illibatiſſimo ornamento Familia, & in illis annis infantilibus erupturæ virtutis ſcintillas proſpiciens, effuſis tuorum affectibus in eum ferebaris, quod in illo æternæ lucis ſimulacrum iam tunc conſpiciebas. Auxit magnitudinem votorum, Oculi noſtri pia voracitas, cùm Mariano exhauſto nomine in Giganteam propè magnitudinem excreuit. Oculi pupillam humore vitreo nutriri tam certiſſimum nobis eſt; quàm non dubiū illud, hunc diem non ſinè luce ſolis eſſe. Vitreo nempè humori cryſtallinus humor, tāquam margarita ſuæ conchæ, aut gemma ſuo annulo includitur: ab eoque pretioſiſſimum illud naturæ inſtrumentum ſolicitè munitur, ſemperque blandiſſimo rigatur & refrigeratur nutrimento: ne quando deficiente hoc ſalutifero liquore ſiccetur, exareſcat. Oculus noſter ne quando vbertas illum hæc irrigationis deſtitueret, bonæ indolis pupillam optimo nutrimento aluit; dum ore auido Schedulam, in qua Salutationis Angelicæ, grande deſcriptum fuit myſterium, deglutiuit. Et quid mirum igitur eſt SS. Doctor, quod Mariani nominis vitreo humore irrigata pupilla Tua ſic refulſit? Permiſcuiſti Tuam Angelicā puritatem Matri Pulchritudinis & Decoris, & nitidiſſima fluenta niueæ innocentiæ in ipſū (vt ita dicam) Oceanum pudicitiæ virginalis immiſiſti. Vidit illo die admirabundus Orbis pia temeritate fortunatum helluonem mare ipſum gratiarum haurientem. Vidit nouum Prometheum cæleſtis lucis ſplendores ſanctiſſimâ contumaciâ ſuffurantem. Vidit Oculum in centro ſpeculi concaui; quia benedictione diuinâ pleni poſitum, eiuſque ingentem magnitudinem notauit: iamque huic Oculo nihil inuiſum fore diuinauit; poſteaquam ipſam abyſſum omnis perfectionis, ipſum fluuium egredientem de loco voluptatis, non iam ad irrigandum Paradiſum; ſed ad ſuam pupillam nutriendam conuertit, eamq; laticibus hiſce circumfudit. Adnaſcentem huic humori tunicam retinam Anatomicis placuit appellare, quod conſtet tenuibus filis inſtar retis, vt toti ſeſe faciliùs immiſceat Oculo, & ipſum velociſſimâ motione, in varias partes agitet & flectat. Ea exoritur à venis ſubtilioris cerebri panniculi vulgò pia Mater vocati, affertque Oculo ſpiritus animales, & denuò receptas ab Oculo imagines defert ad cerebrum. Tibi ſplendidiſſime Ocule noſter pia Mater SS. Eccleſiæ Catholica, cuius vberibus liberaliſſimè lactamur, quotquot filij lucis ſumus, ſubtiliſſimos Spiritus animales, tot gratias, tot diuina Chariſmata, tot cæleſtis Pneumatis perpetuos inſpirationum decurſus, tot ſupernæ beneficentiæ monumenta ſubminiſtrabat, quibus in nouos virtutis motus animareris. Liqueſcit hucuſq; animus incredibili dulcedine, dum pietatem illam SS. adoleſcentis intuetur,

tantamque in puſillo corpuſculo, deuotionis fulſiſſe lucem, magnoperè demiratur. Nondum veſtigia ponere nôrat; & iam ad Deum ſuum concitatiſſima velocitate currebat: vix ſe de molli Matris ſinu prompſerat; & iam blandiſſimas nutriculas voluptatis pueriles delicias cōculcabat: vix trementibus labellis inſuetos ſibi ſonos meditabatur; & iam Dei cultui admirabili pietate deuotus, totum ſe ad eius venerationem proſternebat: vix tenellus à lacte nutricum auulſus erat; & iam horarum omnium momenta, inter ſupplicationes Sacras Virgini Matri tranſmittebat: vix Parentes de facie noſſe cæperat; & iam meliorum Parentum pedibus, humillima deiectione ſe ſæpius aduoluebat: verbum dicam, vix ſeſe remotis palpebris hic Oculus aperuit; & iam ridiculos mortalium terminos agnoſcens, totumque terrarum orbem deſpiciens, in illa verè ingentia ſpatia ſe ſuſtollebat; in quorum poſſeſſionem animus admittitur; ſi minimum ſecum ex fluido hoc corpore traxit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus leuiſque ac modico contentus emicuit. Patuit tum in SS. Oculo noſtro, quàm celer, quàm feſtinatus ſit in eo virtutis curſus, quiſquis malorum blandis irritamentis neglectis, auidus ad exercitium, & occaſionem boni; nihil agit ſine ductu pietatis. Patuit, quàm neſciat is tarda molimina, intra quem ſacer ille Spiritus actuum eius obſeruator & cuſtos ſedet. Patuit quàm facilè ſupra humanam conditionem exſurgat, qui tanquam retina tunica ſuo oculo; ſic Deo coniungitur: & licet contingat terram, licet conuerſetur cum hominibus, hæret tamen origini ſuæ, & à Deo ſuo totus pendet, totus illuc ſpectat ac nititur. Enim uerò dum hæc loquor triſte ante oculos meos verſatur ſpectaculum, quod ſermonem quoque confundit. Quod illud A? dicam nec ſinè dolore dicam: Oculus noſter ſplendorem illum Gentilitiæ claritatis, cælo terriſque gratiſſimam, raræ & eximiæ indolis bonitatem, ardens & indefeſſum virtutis ſtudium, ſacræ profanæque gloriæ incremēta, prudētiæ, magnanimitatis, conſtantiæ, comitatis, pietatis, manſuetudinis, internæ puritatis perfectiones, in tenebris quietæ religionis deponit, & ibi ipſe quoque inglorius deliteſcit. Quid agis ô Orbis vniuerſi amor, Ocule Solis meridiani radijs cunctas nationes nitidiùs illuſtrature? ſiccine deſideratiſſimā pupillam Tuam religioſorum parietum ſeptis includis, vt ibi horrentibus vultum tenebris impendas? Flecto retrò aciem ne fruſtra ſolicitis obſcurantium è propinquo vmbrarum ſpectris terrearis. Tenent adhuc recordationis obſequio adiutæ aures Tuæ Priuationem non cadere ſub aſpectum, nec vllo ſenſu deprehendi. Tua pupilla, luce & Sole digna vt ibi feliciùs omnia defixis oculis, quàm ſublimè volantes aquilæ totum diem haurias, & in ipſo ſacri profanique luminis Oceano immergaris. Sed benè eſt A. aucta lux Oculi noſtri non depreſſa. Oculi vitreum humorem vueâ tunicâ ſecundâ veſtijt natura, vt reflectēdis deſeruiat ſpeciebus, eo modo, quo ſpecies in ſpeculo à plumbo reflecti videmus. Auguſtiùs hoc Oculo noſtro conuenit, qui vt claritatem ſuæ Familiæ conſeruaret, Sapientiæque lucem per cunctas nationes diffunderet: ſeceſſit in hanc Religionis vmbram, quam lucis radijs ſciebat terminari. Nec ſcio quò meliùs ipſi ſecedendum eſſet, aut vnde maioris prouentum ſplendoris, quàm ab vmbris ſibi poſſet ominari. Ipſe ille Æternus DEVS, quo

nil

nil ſplendidius, clarius, illuſtrius, ne cogitare quidem poſſumus; (quippè hoc lucidum cæli ſpatium, quod ſupra nos effunditur, immenſus ille tractus, qui tot ſyderibus diſtinguitur, totus terrarũ ambitus, qui nouis vbique ornamentis velut pulcherrima veſtis omnigenis coloribus fulget, hæc vniuerſa rerum creatarum lux paruus quidam radiolus eſt diuinæ lucis:) tamen poſuit tenebras latibulum ſuum: nec vnquam niſi in caliginoſis nubibus vult ſpectari: vt cum immenſa ſua claritas, pupillam rerum creatarum infinitis excedat vicibus, ſaltim per ipſas tenebras, ſaltim per hæc ſiparia ſuæ maieſtatis humanis mentibus reueletur. Atque inde eſt, vt quiſquis ad Diuinæ cognitionis lucem ſuam pupillam dirigit, neceſſe eſt ſubſternat ei opacum humilitatis, niſi caligare maluerit, quàm videre. Hinc eſt vt quiſquis ſe luce illâ ſtipauerit, quâ nobiliſſimus Angelorum fulgere voluit, ſtatim miſerabili in rebus diuinis damnetur cæcitate. Non id Tibi euenit SS. Doctor, neque in tuos Angelicos mores hæc cadere potuit ambitio: lucem peroſus domeſticam SS. Religionis tenebris te immiſiſti, quæ te ſuſceptum diligentiâ, & felicitate ſæculis admiranda fouit; & opacitate ſua pupillam tuam, vt in ipſa poſthac ſcientiæ ſolidioris imagines, meliùs retinerentur, firmauit, roborauit. Tertius in Oculo humor eſt aqueus, alij albugineum vocant, ſitus in primo aditu, vt eſſet propugnaculum humoris cryſtallini, vtque rei viſæ imagines primò reciperet atque tranſmitteret ad cryſtallinum, quas in eo leui nonniſi & fugaci efformatione expreſſas, humor cryſtallinus reddit conſummatas. Agnoſco in Oculo Noſtro hunc humorem; agnoſco non tam ſimilitudine coloris, quàm recordatione candoris: audio etiam pia curioſitate multos inquirere fortiùs ne ille & feliciùs domeſticam purpuram contempſerit; an tenaciùs religioſam ſimplicitatem aſſumpſerit, quam ſibi poſtea nulla cuiuſquam petulantia, nulla contumacia excuſſit. Quid hoccine non miraculo in SS. Doctore proximum? tantùm in literis eminere; aliorũ tamen mediocritatem, non parui æſtimare: pauciſſima ignorare; quippè in quem Magnus ille Auguſtinus (de cuius laudibus quidquid dixeris, minus eſt amplitudine nominis meritorumque facundiam ſuperante) ingentem ſuum transfudiſſe ſpiritum, vaſtiſſimam ſuam tranſtuliſſe doctrinam credebatur; nondum tamẽ de cuiuſquam eruditione ita iudicare, vt diceret contemnendam: collectas omnium virtutũ dotes in ſe poſſidere; nondum tamen quempiam talem in orbe poſſe naſci exiſtimare, quem non candido Mercurij, ſed nigro Momi ſale adſperſis facetijs perſtringeret: illibatiſſimâ mente, cunctis in actionibus ſtupendam præſeferre maturitatem; adhuc tamen à ſua ſimplicitate non recedere; omnia etiam difficillima deprehendere; ſolas tamen alienas imperfectiones non aduertere: quaſi aut totus eſſet lacteus, aut Oculos Columbinos lacteque lotos haberet. Quò magis bona Iuuentus ſuſpice hanc virtutem: & dum ſcientiam amas, dum in literas incumbis, meliorem literis candorem puta. Admitte SS. Doctoris exemplum, & cogita, tum demum verã in ſtudijs viſionem fieri, dum ad eam promouendam puritas & ſimplicitas conueniunt. Scilicet vt ſtellarum illi orbes admirabili celeritate curſus ſuos conficiunt; non dum tamen ſtrepunt: cum tam diuerſis feruntur vijs; non dum à ſe diuertunt: cum toties ſecum concur-

runt; nondum ſibi reſiſtunt: cum velociſſimè immenſa illa ſpatia emetiuntur; tamen aliorum ſequentium ſeſe lento paſſu tarditati conuitia non faciunt: cum vniuerſum orbem luce implent; nondum tamen amariſſimo fumo è cuiuſquam oculis lacrymas eliciunt. Ita SS. Doctoris mens, quæ plurimum cognationis cum cælo ſuo habebat, licet ſpatia illa ſcientiarum immenſa peruagaretur; numquam cuiquam moleſtis cauillationibus obſtrepebat: licet non vnius ſcientiæ teneret curſum; à nullius tamen veneratione deflectebat: licet toties certamen haberet ſuſceptum cum priſcis recentibuſque ſcriptoribus; in nullius tamen famam ſcalpello acerbitatis calamum acuebat, nullius creſcenti famæ reſiſtebat: licet ad ſublimem & Angelis ſimillimam cognitionem eueheretur; & tanta eruditione quantam capere poteſt humana mens inſtructus, explicaret vela ingenij, ac ſecundo vento famam experiretur; adhuc eos qui nonniſi à longè ſcientiarum littus proſpectabant, non deſpiciebat: licet perenni lumine ſcientiarum ſtipatus, nuſquã ignorantiæ tenebras eſſe pateretur; adhuc nullius tenuis ingenij luminibus, fumo maligni liuoris officiebat. Vt iam ne de adnata quidem tunica capiti communis vitæ SS: Doctorem coniungente, de conſuetudine eius, de familiaritate, cum innocentiſſimis, cum candidiſſimis hominibus, neceſſe habeam dicere: cuius illimis candor & ſine nube pectus amabili illo lepore ac illicio ſimplicitatis, bonorum ſibi amorem conciliabat; malorum callidiſſimos dolos & obliquas artes exemplo ſuo ad integritatem, ad humanitatem, flectebat, expugnabat. Scribatur porrò diuinitati proximum & illud Oculi noſtri inuictæ patientiæ, Heroicæ fortitudinis genus, quo vt maternum affectum Dei ſui charitate inflammatus vinceret, hominis prope naturam exuit, & ad vnum ſcopum dulciſſimæ Religionis collimabat circumſpectus. Actum id à Matre vt Oculo noſtro ſpiritus viſibiles Religioſæ vitæ interciperet, quò maiori gloriæ pompa, ternis cincta filis, velut ternis inſtructa oculis, in laudem ſuæ familiæ deſcenderet: vt cum SS. Doctoris Oculus perſpicaciſſimus eſſet, multum lucis generi ſuo ſuperadderet. Non alias ſenſit ſe magis armatam eloquentia quàm dum mellitis ſuccincta verbis, contra Oculi noſtri inuictum robur, in Matris ore perorauit: Permitte fili permitte Te tuos ſequi: permitte clariſſimarum tuarum virtutum fulgoribus natalium lucem augeri. Lucere non poſſumus ſi Te lumine oculorum noſtrorum ſpoliabimur. Quid ita priuatæ vitæ latebras cogitas? à quo Reſpublica honeſtiſſima flagitatrix, à quo cognatus amicorum cætus, à quo longa ſeriè deducta familiæ claritas, exſpectant illuſtrari. Si Te naſcentem obſcurus aliquis excepiſſet angulus, ſi aliquod ruſticanum tuguriolum pauperrimus infans ortu tuo impleuiſſes: haud mirum eſſet, humiles te in animum cogitationes admittere, nec ſupra ſortem attolli. At modò dum te natura lectiſſimum familiæ noſtræ decus emitteret, quam prouido conſilio ſtatim ad cunas immenſa te decora ambiuerunt, quantus Te auorum atauorumque tuorum cinxit comitatus, quantæ Tibi in ipſo ortu Natalitij ſplendoris faces illuxerunt. Quocunque oculos flexeris, velis nolis in magnum Tibi Parentum fulgorem incurrendum eſt. Fluunt Tibi limpidiſſimis ducti venis natiui fontes, facturi laudum maria, niſi tu ipſe in ſolidum marmor rigore Tuo

coalue-

coalueris. Circumſtant Te tot ipſæ virtutes Tuæ, quot ne pugnaciſſimos quidem maiores Tuos, inter confertiſſimas hoſtium acies pugnantes, infeſtæ circumſteterunt cateruæ. Magnum Tibi incumbit negotium, vt Te dignum maioribus Tuis, dignum Tua indole præſtes, quod vt ſemper conſequaris, ſemel Tibi religioſæ vitæ inſtitutum deſerendum eſt. Relinque eruditionem pauperibus, quæ tenuiſſimæ Fortunæ Parentum filia, rarò quempiam illuſtrauit. Signa metam militaris vitæ glorioſis tuis cogitationibus, ad quam tendas: & in acie contra hoſtes, nobiles Tuos ſudores occupa, quos florentibus oleis, & victricibus lauris extergas. Sanè dum has domeſticas luces in latebras monaſterij infers, quid aliud facis, niſi quod ſurſum Gentilitia Tua flumina deriuas; niſi quod totam domeſticam lucem in noctem transfers; niſi quod ad faces & cereos æuum ignobile tranſacturus es, cui natiuus Titan fulget. Hæc dicebat: ſimul vteri dolores, ſimul ſuam orbitatem memorabat, ſingula verba molli planctu eliquans, quibus Oculi noſtri robur molliretur. Quid deinde, quid cenſetis? repentino calamitatis maternæ commotus aſpectu retroceſſit? cum alios etiam videret domeſticos in luctu inſqualore, in lacrimis eſſe vinci ſe agnouit? Noluit dulciſſimam Matrem, noluit amantiſſimas Sorores, noluit generoſiſſimos fratres, qui Matris luctum ſuo & ipſi adiuuabant, à ſuo complexu excludi? timuit ne illo ſenſu doloris acerrimo & cruciatu vitalis matri Spiritus auferretur? paſſus eſt tandem illuſtriſſimam Familiam poſt tot gemitus, ſuſpiria, fuſas lacrimas triumphare? Senſit ſe collabi, vbi etiam ſic cecidiſſe pietatis officium videbatur? Nolite id cogitare in OCVLO noſtro A. Stetit ſaxeo pænè immoto gradu; & poſteaquam ſuæ fortitudini maternas cognataſque ſenſit admoueri machinas, in cornu ſeſe indurauit. Benè ſit Phyſicis narrantibus tunicam corneam inſtar laminæ, totum oculum munire, ambire, & complecti. Recipimus iam ab OCVLO noſtro huiuſce dicti fidem: neque in delicatiſſimo membro tantam miramur duritiem, quando noſter hic adamantinis propè perſuaſionis ictibus, de ſuo propoſito non potuit dimoueri. Hic A. quos putatis furores Matris, quas iras exarſiſſe Fratrum, cum eripi ſibi viderent è manibus id decus, cuius ſplendore Familiam nunquam fuiſſe clarere deſtitutam augurabantur. Ergo non iam Mater vt filium; non iam fratres vt fratrem; ſed vt odioſiſſimum Antagoniſtam tractare incipiunt, modis diuexant indigniſſimis, in horrendum carcerem detrudunt, ærumnas grauiſſimas immittunt, vt tandem pallentibus cinctus vmbris OCVLVS noſter in ſublime niti videndo dediſceret. Quid hic rurſus? ſtetit. & ſæuientium domeſticorum furori non ſe ſubducens, concitatæ in rabiem matris, efferueſcentis in iurgia fraternæ indignationis tempeſtati ſeſe intrepidè obijciens, æternis ſuæ fortitudinis fulcris duraturum trophæum, geminatis Parentis & Fratrum proſtratis viribus, erexit. Pro Superi! hæc aut homo præſtare potuit, niſi in eum vis aliqua diuina defluxiſſet; aut donare DEVS niſi homo de ſuæ conditione naturæ emigraſſet. Vincere ingenitas nobis & inſitas voluptatum cupiditates; magnarum virium laus eſt. Exuere & deponere affectum in Parentes, qui nomine pietatis abblanditur; Heroicæ fortitudinis. At opponere ſe ipſis Parentibus, vincula & compedes arctiſſi-

mæ neceſſitudinis diſrumpere, neque proſperis allici; neque aduerſis terreri: nec perſuaſionibus mitigari; nec comminationibus deijci: cum ad DEum nitendum eſt; non humanum eſt, diuinum eſt: iamque hic ceſſantibus naturæ viribus ſola diuina gratia operatur. Ecce verò defeſſo iam, & ſub onere tantarum pugnarum fatigato OCVLO noſtro, nouum exoritur certamẽ periculoſum atque terribile, multitudine in eo cadentium inſuperabile. Oculum Platonici videre dicunt per extramiſſionem radiorum; dum videlicet diurnum lumen applicat ſe viſus noſtri radijs, tunc enim hæc duo inter ſe ſimilia concurrentia, quò oculorum acies diriguntur, ibi in vnius corporis domeſtici ſpeciem cohærent: vbicunque nimirum tam interni, quàm externi luminis fit concurſus. Peripatetici verò per intus ſuſceptionem; nam viſio eſt ſpecierum rei viſæ in oculum receptio. Diſſidium inter Viros ſapientiſſimos non concilio; intueri enim mihi videor auguſtum illum caſtitatis; augeo vocem exilitate collapſam, caſtitatis, fortitudinis, magnanimitatis, pietatis, ipſo Victorum Victore potentiſſimo Cupidine, ingenti virtute depreſſo, in anguſtiſſimo licèt arctiſſimoque certaminis campo, domeſtico carcere, partum triumphum: dum Oculus noſter extramiſſas infernales ab infami Veneris portento ſcintillas recepit quidem, ſed vt ignis ſolet; qui in materiam quæcunque obijcitur ſeſe vertens, eam in cineres tandem ſoluit. Poſtquàm materni in irritum cecidere conatus, quibus Oculi noſtri fortitudo cornea infringeretur, placuit ad inficiendum eius puriſſimum nitorem nouo vti aſtu, nouas ſed multò periculoſiores machinas admouere. Quid tandem? abſiſte lingua, ne Angelico facto ore humano derogare videaris: aſt corrigo me, loquere lingua, vt cuius facti encomium nulla ingenij felicitate poteſt impleri, eius faciliùs exemplũ admittatur. Immittitur in carcerem: quis? percuſſor aliquis? abſit. Vnus ille ictus totam ſapientiam nobis abſtuliſſet, vnum vulnus illud toto pectore poſteritas recepiſſet: ſed fuit tamen ille percuſſor & parricida caſtitatis. Quis igitur? hoſtis aliquis? non. Quis enim cum tanti animi Heroe impari certamine congredi voluiſſet? ſed hoſtis tamen, qui multa firmiſſima pudoris & pudicitiæ præſidia vi & audacia cepit. Tortor aliquis vel carnifex? non. Nondum vſque adeò in materno pectore filij vita euiluerat; ſed tortor tamen Angelicæ puritatis. Immittitur in carcerem, quis? amoris ſoboles, leporis index, ſcitiſſimæ venuſtatis fœmina, ipſum planè Gratiarum ac lubentiarum ſimulacrum, niſi quod in Cupidinis regno ſtipendia profeſſa merebat. Caput roſis gemmiſque diſtinctum, & radiorum quadam maieſtate cinctum, horrorem quoque carceris euincebat. Coma in cirros cincinnoſque digeſta auram quoque imbuebat, quam leniter ſpirantes Zephyri huc & illuc diſpergebant. Flagrantes roſæ tempora cingebant, tam ſanguinei vernantiſque floris, vt ipſis quoque floribus putaret quis ignem ineſſe. Veſtis à Phrygibus petita toto corpori hilaritatem videbatur addidiſſe: pratum dixiſſes, partim flauis partim albicantibus florum gemmis relucens; putaſſes æmulatione cæli in ipſam quoque mulierem ſparſas ſtellas. Monilia ingentis pretij è collo pendebant, in quibus varias formas, diſtinctis Vnionum coloribus, ingenioſiſſimus labor expreſſerat. Quàmuis autem veſtis laborioſâ

auri pictura

auri picturâ coruſca ſplenderet; quàmuis membra pretioſis emblematis exornata rutilarent: tamen veſtis nitorem forma ſuperabat, niueo purpureoque decore propemodum tenebras vincens. Iam inceſſum ipſæ deliciæ, lepores, cæteræque hilaritatis illecebræ ſequebantur. Iam geſtu ipſo, manibus, pedibuſque, per ſummam laſciuiam allubeſcens, muto ſermone ſuas cupiditates intimabat. Iam ipſa ſub in honeſto ſchemate pudicitia laborans, in turpiſſimam mollitiem ſoluebatur. At Oculus noſter in tanto diſcrimine cõſtitutus hærebat,& cauta declinatione laſciuos colores auerſabatur. Quod conſpicata infernalis Harpyia addit verba, quibus etiam obſtinati animi ſolent expugnari. O Iuuenis quæ mortalium ſinè voluptate vita? pœna eſt; hanc ſi ſapere conſtituiſti, fuge; illam carpe: & quem in finem benigna Te natura prouexerit, cogita: non vt miſerum durâ virtute crucies animum, & de felicitatis contubernio proturbes: ſed vt mollitie bees, vt ſuauitatibus omnibus irriges, velut tenerrimam breuis vitæ flammã Aliquid bonæ ætatis ludo dandum. Non ſinè floribus ver habemus, nec matureſcere omni hora datum eſt. Seniores anni, contrahant animum, modò etiamſi vitam ſolueris, quis te damnabit. Vultum ipſũ cernis; riſu & pellaciâ amænus eſt, ne toruæ vitium ſeueritatis ei conuenire arbitreris. In alieno orbe & extra homines agit, quem feſtinata maturitas incautum deludit. Admitte Iuuenis admitte licitas voluptates; videri hilaris, quàm ſolicitus malis; & diuturnum rigorem, blandis illecebris expugna. An non à Sapientibus didiciſti, annorum morumque maturitatem indicium eſſe imminentis exitij, nec quenquam diu vitâ frui, qui in adoleſcentia Virum ſpirat. Quid attinet plura dicere? omnes in muliere nutus, omnes geſtus turpiſſima vota innuebant, quibus cunctans ſtimularetur. Quid iam hic facies bone Adoleſcens, quid facies? miſeret me tui quod tam grandi obiectus diſcrimini, non de ſalute; ſed de caſtitate, quæ tibi potior, periclitaris. Fugam cogitas? vbi Pegaſus pennatam auium vincens velocitatem. Auxilium proſpicis? nonniſi militares in tuas pœnas vigiliæ ad poſtes carceris excubant. Solus in hoſtem ibis? at in certamine difficillimo deprehenſus, ipſis armis es deſtitutus. O dura certamina caſtitatis, in quibus quotidiana pugna, rara victoria! Sola niſi meritiſſimum cultorẽ ſuum innocentia protexerit, actum eſt. Commouere tamen conſcia Oculi noſtri virtus, nec permittas hoc muliebri furori, vt glorietur ſeſe tuum lumen obſcuraſſe. Tandem ſciat cæca dementia, nullas tibi Gratias, niſi virtutes; nullas delicias, niſi diuinas; nullas voluptates, niſi cæleſtes probari. Tandem fateatur victa impudentia, pro caſtis vt alia deſint, ipſa elementa depugnare. Commotus eſt Adoleſcens A. & ad iuſtiſſimam iram prouocatus, qui nunquam ſuccenſuiſſe ſcribitur, tela in petulantiam laſciuientis huiuſce Thaidis inquiſiuit. Languebant fortè in proximo foculo tædæ, & titiones aridi, tenue & extremum lumen ſpargebant. Quid igitur? truci oculo turpiſſimum illud Veneris ſimulacrum intuitus, titionem arripit, & nouus Hercules, in illam multarum voluptatum Hydram, igneas ſtricturas miſit; ſubitoque turbine conatus improbiſſimos, & maligna conſilia diſſipauit. O factum ſolaribus radijs ſcribendum! ô facti expreſſam ſimilitudinem luce pingendam meridiana! Parcite ſydera,

ignoſcite

ignoſcite beatiſſimæ mentes, date veniam nobiliſſimi ſpiritus Angelici, habitat intra nos quædā magna vis,non Numinis quidem,illius tamen hominis cum quo vobis veſtras laudes partiri; ne dicam cui à vobis primas laudes tribui ſit neceſſe. Si veſtra innocentia nullas contrahit vitiorum ſordes, ſi nullis rationibus ad blandum ſcelus impellitur, Veſtræ tribuere debetis felicitati, non virtuti: quod benignitate veſtri Conditoris ab omni concretione corruptioneque mortali ſeiuncti, cauſas occaſionum procul habetis. At huiuſce gloriæ SS. Doctor, quod illa tempeſtate iactatus feliciſſimè tamen ad promontorium appulit caſtitatis: quod inter venenatos ſerpentes, & lethiferos ſcorpiones occaſionis ſecuriſſimè gradum promouit: quod cum ſibi domeſtici eſſent proditores, illam tamen victoriam, quâ nulla maior cogitari poteſt, obtinuit: quod ipſam malitiæ metropolim ſuam cupiditatem, non ariete vel balliſta; ſed pijs ſuſpirijs, ſed perennis orationis aſſultu expugnauit: huiuſce inquam gloriæ ſociam non habet felicitatem. Totum hoc quantumcunque eſt, quod certè maximum eſt, totum inquam inuſitatæ eius virtutis,infracti pectoris eſt. Nihil ſibi ex iſta laude conditio beatiſſimi ſtatus decerpit. Quin etiam ipſa illa cupiditatum moderatrix humanarum pænæ formido, in iſtius ſocietatem gloriæ ſeſe non offert. SS. Doctoris virtuti cedit, totam eſſe huiuſce facti laudem, penes eum fatetur; cui domi ſuæ peccare tam pronum fuit; quàm ſpirare. Tum verò ipſæ illæ cæleſtes virtutum cohortes, in admirationem verſæ, Oculum noſtrum verè regalem, cuius pupillam teterrima bellua irrito conatu fatigauit, adorarunt. Egit gratias Caſtitas diligentiſſimo ſuo Conſeruatori. Acceſſit gratulabunda Fortitudo inuictiſſimo magni hoſtis domitori. Accidit adoratura Magnanimitas magnum vniuerſæ voluptatis contemptorem. Tum ipſa Pietas caſu illo terræ alliſi fœdi Cupidinis excitata, triumphale trophæum Crucis in pariete carbone depinxit: vt vel ab ipſo ſqualenti colore, quantum ſudoris illa victoria hauſerit, orbis diſceret vniuerſus; vt vel ab ipſis fumantis titionis ſcintillis, æternùm arſuræ in Capitolio perennitatis flammæ, honori SS. Doctoris accenderentur. Approbaturi tam Sanctum virtutis cultum ipſi Spiritus Angelici ſtetere attoniti: & auguſtum Victorem ſplendidiſſimo cingentes comitatu,eum Balteo exornarunt militari. Quod ſi Romanæ porticus Zenonis, grauiſſimi Senecæ iudicio acquieſcendum eſt,affirmantis nullum ſpectaculum poſſe cogitari dignius, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo DEVS; quàm ſi quando viderit magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate: Crediderim ipſam tum SS. TRIADEM ſuum Pancratiſtam ſpectauiſſe: Crediderim languentibus naturæ eius viribus, ſuæ portionem immortalitatis infudiſſe, vt incurrens oſtentum illud immaniſſimum, maiore pietatis exemplo profligaret. Licuit tandem Oculo noſtro in publico conſpici; licuit depreſſo indignationis maternæ pondere attolli; licuit è ſitu diuturni carceris in amæniſſima vireta Dominicanæ Religionis diuertere; licuit ex triſti & obſcuro domicilio emergenti libera luce delectari; licuit magni Præceptoris Alberti, qui prodigioſâ ſapientiâ omnium conatum exceſſit, doctrinâ perpoliri. Narrant Optici viſionem fieri ſecundùm Pyramidem, cuius vertex & acumen ſit in oculi centro, &

baſis

basis in re visa. Porrò videri rem quamuis velocissimè, quod radij à puncto rei visæ emanantes, per lumen, quod est radij vehiculum, in instanti moueantur, & oculum attingant. Tuam fidem veneranda semper veritas appello, à te locupletissimum certissimumque testimonium inuoco meæ confirmandæ dictioni: An non SS. Doctor omnium scientiarum latissimos terminos, breuissimo tempore, inaudita capacitate, in puncto complexus est? An non velocitate cognitionis ipsarum cogitationum celerrimam mobilitatem æquare videbatur? Crescebat impetus discendi ipsa magnitudine profectus, & temporum iniuriæ celeritate studij resarcitæ. Dixisses ingenium eius Aquilæ simillimum, quæ cum sublimi volatu, infert sese nubibus, tam velociter fertur, vt intentam curiositatem spectantis eludat. Dixisses lenissimo flumini suppar, quod cum ingentibus vorticibus sese voluit, vix moueri videtur. Dixisses solis æmulum, qui cum per immensos cæli tractus summa incitatione fertur, & nunquam intermissa festinatione amplissima illa spatia emetitur; adhuc tamen stare malè credulâ oculorum censurâ iudicatur. Inde factum, vt qui iam in ipso sapientiæ fastigio constiterat, qui iam immortali lauru coronandus erat, nondum primam ruditatem discendo expugnasse malè censentibus ingenijs aliorum putaretur; & odiosum Bouis cognomen, damnante SS. Doctoris silentium quorundam garrulitate, reportaret. O voces A. dignas diu derideri! ô oculos in lyncea nostri Oculi perspicacitate dignoscenda talparum more cæcutientes. Quasi verò omnis sapientiæ nerui atque artus, in multo sermone profundendo sint constituti. Quasi verò hoc sapere sit, cum extra ripas itur, & toto profluentis torrente sermonis aures obruuntur. Quasi verò non Homerus etiam Vlyssem, cuius ab ore fluebat sermo melle Hymetti dulcior, maximè descripserit taciturnum. Discere ô boni debuistis perinde esse in garrulitatis contubernio aptum & dignum auribus sermonem ordiri; atque ad cataracten aquæ cytharam pulsando laborem & harmoniam totam sepelire. Discere debuistis nunquam lusciniam inter fritinnientes hirundines suum melos auspicari. Inter garrulos sermones optimè loquitur, quisquis tacet. Tu verò SS. Doctor gaude hoc titulo, & in pulcherrimo elogio Tuam sortem admirare: Bos eras, sed ille Apocalypticus plenus oculis ante & retrò, à quibus thronus Dei, scilicet Ecclesia, augustissimâ lucis accessione cumulatur. Hoc igitur Oculi nostri crimen, tacuit: id est pressiori examine res & verba perpendit, nec aciem suam per vaga nugarum spectacula circumduxit. Errarunt alij in perspicacitate dignoscenda Oculi nostri: non errauit ille totus Oculeus Magnus Præceptor, & cum suæ vocis præconium, tantæ indoli prædicandæ non sufficere cognosceret, in elogium ipsa sæcula aduocauit: dum Bouem hunc eum mugitum dixit editurum, quo Orbis resonaret vniuersus. Conspexisse iam ex Oculo nostro micantia illa lumina visus est, quibus modò felicissimè ipsi Antipodum recessus, ipsi deficientis naturæ fines, ipsi ad concolores damnati vmbras Nigritæ collustrantur. Sed ego dum oculum meum in hanc lucem propiùs adigo, præstricta acie propè videndi facultatem perdo. Mille mihi à puncto Oculi huius ducuntur laudum circuli, qui in Orationis pun-

ctum nunquam congregentur. Igitur ſplendidiſſime OCVLE per alias viſiones Tuas, aſpectum meum non circumferam fatigatum. Contempti à Te Mediolanenſis Archiepiſcopatus ſtupendus actus luce ſua inuoluatur: Doctoralis dignitatis ſupremus apex, quem Tibi cunctorum vota deſtinabant, manus parabant, repudiatus ſuo deliteſcat in ſplendore: quaſi tunc è virtutis claritate iam tantùm fulgoris collegeris, vt ab ipſis honoribus quibus obſcura virtus ſolet illuſtrari, nec augeri potuerit, nec intendi. Quæ mea rurſus ſors? dum plura omitto, plurima reſtant; rurſuſque ab Oculo noſtro nouæ luces, noua lumina ſparguntur. Circumuentus numero, deſperato exitu, ſtupere cogor, niſi Tu ſplendidiſſimum lumen orbis in curſu laudis hærentem, in viam reduxeris. Benè eſt, ſentio artubus meis infuſum vigorem, ſentio oculis meis nouam monſtratam laudis ſemitam, audeo etiam veſtigia promouere. Oculum triplici videre viſione conſtans Opticorum ſententia definiuit, ſimplici, reflexa, & refractâ. Viſionem illi ſimplicem vocant, cum res ipſa non etiam imago rei videtur: dum videlicet rei viſæ radij incidentes in oculum, faciunt ibidem angulum, & in eo ſpeciem rei viſæ repræſentant. Sic videmus primò lucem, quæ à formis diffuſa cæleſtibus, per naturam corporeæ formæ, in inferiora ſeſe inſinuat corpora, eaque illuſtrat; deinde colores, quos nonniſi lucis ope conſpici, quomodo enim in tenebris apparerent, experientia conuincit manifeſta. En clariſſimum in Oculo noſtro viſionis proceſſum, en eius aſpectus arcana recluſa. Lucem illam quam nunquam mundi tenebræ comprehendunt; lumen diuini vultus, quod ſignatum ſuper nos regius canit Pſaltes; ignem illum qui fulget non fulgurat; ſplendorem illum qui Platonem latuit, Ariſtoteli ignotus fuit, inuiſus Demoſtheni, quem ſubtilis Academia, eruditum Lyceum, ſapiens Græcorum porticus, ne per tranſennam quidem conniuentibus ex graui torpore oculis conſpexerunt, primò percepit: mox ad colores humanæ ſapientiæ ſeſe conferebat. Heu ignominioſam ſæculorum labem, huc denique amentiæ, nonnullorum iudicia prouecta, vt pietatem cum Sapientia non poſſe conuenire iudicent, DEumque à ſtudijs & artibus ingenuis excludant. Ita nonnullis fatuus hic humanæ ſapientiæ ignis imponit, quem dum cæco impetu ſequuntur, incauti, in ſpecus & abyſſos erroris præcipitantur, in quibus æternùm ſubmerguntur. Felicem Te D. Doctor, qui vt pectus multarum artium cognitione fæcundares, lucem diuinæ charitatis concepiſti; vt ab ignorantia intellectus abeſſet, voluntatem calentibus ardoris diuini flammis excitaſti. Mutâſti inſolitâ induſtriâ diſcendi methodum, & ne per omnia rerum creatarum volumina Tibi vagandum eſſet, compendium in Deo in quo omnia eminenter continentur, quæſiuiſti. Perceperint verò multa Socrates & Pythagoras à ſuis Genijs, à quibus ſe identidem commoneri ſimpliciſſimis diſcipulorum mentibus perſuadebant: Homerus à ſuo Ioue, cui ſex annos antequàm naſceretur ſcribendis epiſtolis ſuam operam locauiſſe, mendaciſſimo Poëtarum commento memoratur: Heſiodus à ſuis Muſis, à quibus in Helicone ſomnians, ſacra lauru paſtus, atque enutritus ad Poëſim fuiſſe perhibetur: Triſmegiſtus à ſuo Pymandro, à quo altiſſimorum cognitionem myſteriorum celeritate ſtupenda ſe percepiſſe,

gloria-

gloriatur. Tu à Diuina munificentia, Tu à Cæleſti inſpiratione, Tu in diuini amoris Palæſtra, tantùm percepiſti; quantùm antea omnes homines ignorarunt; quantùm nullus mortalium eſt cogniturus. Vos Aſtrologi voluite cælos, numerate ſtellas, colligite fauores Planetarum, vniuscuiuſq; ad ſtudia promptitudinē in polis veſtigate; progreſſus reuolutiones ſtellarum, incrementa, deliqu a ad calculum reuocate, quæ ſit hora ſtudijs aptior, quam ſuo benigno Mercurius influxu orbi commodet, deſcribite: Oculo noſtro longè alia ad profectum faciendum placuit ratio; vt nimirum cælum perpetuis precibus ſolicitaret, vt de ſapientia diuinum Numen compellaret, vt omnia cum Deo ageret, vt pijs lacrymis, crebris ſuſpirijs, nunquam ſatis æſtimandam illam gemmam mercaretur. Itaque mirantibus omnibus hominib⁹, omnigeni colores ſcientiæ, diuinæ lucis ope radiātes, in Oculo noſtro notabantur, qui iam in ipſius immortalitatis templo conſecrati ſemel, in ſæcula tranſmittuntur, permanſuri in terris, quamdiu cultores erunt honoris, ſapientiæ, & virtutis. Memoremnè hic eos, enumerem ſingulos, reuocem animos veſtros ad illa ſcripta quæ maximū illud æuiternumque Numen loquuntur, quæ cæli ſecreta nobis è vicino ſpectanda exhibent: at Orbis vniuerſus manum inijcit, & curſum eloquentiæ moratur; quaſi nefas ſit, in anguſtas periodos ea contrahere velle, quibus omnia eruditorū Lycea, omnes Bibliothecæ, omnia Muſæa, omnes Exedræ implentur. Eſt quædam eſt profectò in Sanctis mentibus ſingularis maturitas, quam omnia profana ingenia non conſequuntur. Pijs mentibus non ipſi tantùm labores; ſed ipſa ſydera ſuffragantur, ipſi Angeli fiunt condiſcipuli: Illa manus quæ primò in orationes erigitur feliciſſimè ſtylum verſat; illi oculi qui ſolem orientem diuinæ gratiæ adorant, nunquam aciem in ſtudijs perdunt; illa indoles quam Spiritus ſanctus afflat, plenis velis ad portum nauigat æternitatis. Aſt quò me rapis blanda dulcedo fandi, ad alias oculi viſiones properandum eſt. Eamus A. & Oculum hunc, quando non poteſt eius lux deficientibus pupillis hauriri, videntem viſione reflexa conſideremus. Oculum non in ſe tantùm res videre, ſed etiam per imaginem, ſcimus omnes: Radij enim à re viſa prodeuntes, incidentes in politum aliquod & denſū corpus, ab eodē in eādem vnde deuenerant partē reuerberantur, quâ reuerberatione viſio fit reflexa. Sic videt Oculus, ſic recipit; vnde veriſſimo elogio à naturæ Myſtis ſpeculum naturæ appellatur. Miranda verò in Oculo diuerſiſſimarum rerum concordia, in quem cum tot imagines variæ concurrunt, clariſſimè tamen ſinè vlla confuſione apparent; in quem cum virentium herbarum, micantium ſyderum, limpidorum fontium, vmbroſarum vallium, ſublimium montium, ambientis terram immenſi Oceani, ſpecies ſimul immigrarunt; nondum ibi tamen ſuum nitorē, ſuos limites perdiderunt. Sic omnia neque tamen ſua vnitate deſtituta; ſic ſingula neque tamen cum omnibus confuſa conſpiciuntur. Hoc eſt quod etiam in Te miror Ocule noſter ſplendidiſſime. Adij glorioſam illam vetuſtatem, patuerunt Scriptorum Græciæ Latijque Muſæa, admiſſus ſum ad noſcendi vſum, atque inibi tamen Viros ob incredibilem ſcribendi felicitatem laudatiſſimos, nonniſi vnâ virtute eminuiſſe conſpexi. Siue enim ad Philoſophos acceſſi, ſenſu valere

 Pytha-

Pythagoram, diuiſione Socratem, ſubtilitate Democritum, ſuauitate Theophraſtum, explicatione Platonem, implicatione Ariſtotelem, gratâ & amænâ cognitionis varietate Carneadem, ſenſuum pondere & maieſtate Zenonem: aut (vt recentiores quoque ab hac non excludam commemoratione) perſpicuitate Alexandrum, libertate Ioannem, diligentiâ Ammonium, facilitate Themiſtium, eruditione diffusâ Simplicium, peculiariter excellere ſum admiratus. Siue Theologos ſum contemplatus. Vidi in Baſilio facilitatem cum cura maximam, vt deprauatos mores corrigeret. Vidi in Gregorio Nazianzeno eximiam cum pietate in dicendo vim, vt horrendas Hæreſeos acies fulmineus propè miles euerteret. Vidi in Theodoreto ſimpliciſſimum ſine vlla ambitione interpretandi candorem, vt tenebroſis ſacræ Scripturæ difficultatibus lucem mutuaretur. Vidi in Tertulliano neruoſam dicendi copiam, vt omnis profanæ ſapientiæ ipſa fundamenta concuteret. Vidi in Clemente vaſtiſſimam eruditionem, vt validis rationibus fidei noſtræ veritatem tueretur. Vidi in Chryſoſtomo, digreſſiones melle dulciores, quibus audientium ſitim expleret, & leniter animos ad Dei charitatem alliceret. Vidi in Auguſtino ſolidiſſimum in diſputando robur, quo omnes naſcentes naſciturǽque Hæreſes, æternùm oppreſſæ manerent. Vidi in Hieronymo exactiſſimam induſtriam, quâ nobis arcana omnia ſacrorum librorum reuelaret. Vidi in Gregorio Magno obſtupeſcendam dexteritatem, qua altiſſimas illas & difficillimas veteris legis viſiones, ænigmata, miracula, ad noſtram ſingula vitam, moreſque reuocaret. Vidi in Ambroſio mille ſententiarum verborumque leporibus adſperſam dicendi copiam, quâ imperitos imbueret, afflictos conſolaretur. Vidi in Bernardo ſuauiſſimam amænitatem, Hilario ſublimem cothurnum, Leone primo diuinam apophtegmatum copiam. Vidi in alijs alias virtutes, quibus venerandi illi Patres, hoſtes religionis noſtræ iugularunt, quibus ſeueriorem ſacræ eruditionis maieſtatem, tanquam lectis ex amæniſſimis hortis veris delicijs, exornarunt. Hæc omnia cum collegiſſet Oculus noſter maior omnibus & ſibi ſoli par redditus, tantùm cæteris eminet, vt glorioſiſſima eius ſcripta ipſius manu Numinis exarata credi poſſint, niſi dicantur eſſe Doctoris Angelici, vt iam in tota veneranda SS. Doctorum ſpectetur antiquitate, & tota in eo ſummæ doctrinæ, ſummæ facilitatis, ſummæ ſapientiæ ſuccincta maieſtate ſpectetur antiquitas. At quomodo ſpectatur? ſiccinè vt ſuum SS. Doctoribus decus periret? ſiccinè vt ſuo ſplendore quo tot annos fulſerunt ſpoliarentur? ſiccinè vt aliquid æternis illis operibus amplitudinis detraheretur? ſiccinè vt iam ſolus Oculus noſter ſtupore defixos in ſui admiratione humanos animos detinere vellet? minimè. Illâ profanæ mentes aguntur ſuperbiâ, vt cæterorum ſcriptorum virtutes, facilè præ ſua felicitate ſcribendi parui pendant, illâ licentiâ, vt cum aliena deſcribunt, ab imperitis mentibus pro ſuis velint iudicari. Odit hos dolos Oculus noſter, has togatas fraudes execratur. Recipit ſpecies; ſed remittit: transfert ex SS. Doctoribus; ſed non aufert: deriuat ſcaturientes illas lymphas perennibus alueis; ſed fontes adorat: percipit doctrinam; ſed Magiſtros veneratur: irrigatur benigniore illo cognitionis ſucco; ſed etiam refundit, & ijs per quos profecit libens aſ-

ſurgit.

aſſurgit: veriſſimum planè ſpeculum, quod ita alienas imagines recipit, vt tamen integerrimas rurſus reddat. Quam diuerſus porrò hic Oculus hoſtibus: quàm formidatus; cuius ipſo coniectu, ſuos aſpectus ſauciari, ſuas medullas vri, ſua lippientia lumina perſtringi, ſibi feralem cæcitatem ſuperinduci lamentantur. O quam verè dictum lucem reflexam eſſe primâ fortiorem. Audias ſæpiùs has infernales Erebi furias, has deuotas Orco victimas, hos profligatiſſimos Andabatas, clauſis in SS. Matrem Oculis depugnantes, impias illas voces emittere, quarum commemoratione aures configuntur: Tollatur Thomas, tollatur Theologia Scholaſtica, & diſſipabimus Eccleſiam. Adeo D. Ocule noſter, alij bella gerunt; Tu perficis: alij pugnāt; Tu vincis: alij victorias ambiunt; Tu triumphas: aliorum terror aures affligit; Tuus audaciam ſternit: aliorum acies in ſcripta; Tua in animos ad ſolam Tui admirationem ſurrecturos vibratur. Procul deinceps procul à nobis ſuperba antiquitatis commenta abeſte. Archimedis ſpecula è regione muri Syracuſani, Marcelli claſſes exurentia: Procli ſpecula è Byzantinis mænibus Vitaliani Thracis vrbē obſidentis naues perniciſſima velocitate incendentia, in comparationem cum Oculo noſtro non poſſunt deduci. Archimedis & Procli ſpeculis, vnius Ducis, vnius populi copiæ; Oculo noſtro, Orbis Chriſtiani pernicies obiecta. Ab Archimedis & Procli ſpeculis ligneæ moles correptæ; ab Oculo noſtro, ipſo adamante, ipſo ferro duriora pectora, in cineres verſa. Infra eandem iacent gloriam Auguſti nitentes Oculi: quos ſi quis diutiùs intueretur, cogebatur ſplendore percuſſus nimio vultum ſubmittere. Augeæ micantes: quos ſi quis longiùs aſpiceret, meritas tenebras non effugiebat. Tiberij lucentes: quibus etiam nocturnos horrores illuſtrabat. Alexandri Magni ignei: quibus in ſubito ab Indis periculo deprehenſus, eos conſternatos fugauit. Attilæ coruſci: quibus dum obſideret Aquilegiam, & ſubita in eum fieret eruptio, hoſtes trepidantes retrò vertit. Marij truces & ardentes: quibus in Minturnenſibus latens paludibus à Sylla percuſſorem, qui ſe perimeret immiſſum, ſic exterruit, vt ille trepidus celeri fuga ſubito pauori ſeſe ſubtraheret, & cæde ne tentata quidem reuerteretur. Niſi verò maius cenſebimus hoſtem ſemel terrere, loco & victoria deijcere, cæcæ temeritati procurrentis frenos inijcere, molitricem ſceleris inſaniam aliquorum comprimere: quam flagitiorum nefario fœdere inter ſe coniunctas totas Hæreſeos acies in fugam conuertere; quocunque oculos flexeris, ſtatim ſtrages formidineſque circumferre; in crudeles minas erectam amentiam, ſic intra trepidationem cogere; vt dum Oculum noſtrum cogitat: vires non inueniat: dum memorat; collabatur: dum proſpicit; agnoſcat ſe ſpe etiam victoriæ excidiſſe. Stupet improbiſſima ſceleris author ſic ſe tractari, & os illud patulum, vaſtam tot regnorum voraginem, ad Oculum noſtrum retorquens, ab illius intuitu, tanquam à Gorgoneo Palladis ſcuto, propè ſe ſe in marmor obrigeſcere cum profuſis querimonijs indignatur. Potuit antehac victorias cogitare, cum Eccleſia poſt ſuperatam millenariam æui laſſitudinem, vergente in peius amore doctrinæ, velut ſenio confecta aquila nonnihil de ſua perſpicacitate remiſit. Nunc dum renatæ lucis Oculi noſtri

fulgore illuſtratur, nihil ſibi reſtare videt, niſi vt ad concolores ſuæ doctrinæ tenebras gradum referat; niſi vt triſtibus Auerni ſpeluncis tecta nefandis ſuorum ſcelerum probris torqueatur. Eant verò A. veteres tenebrarum incolæ in ſuas vmbras, quibus ſic innutriti ſunt, vt Oculi noſtri ſplendores amicos ſuſtinere nolint. Properent hæ infames noctuæ ad ſuarum turpitudinum luſtra, in quibus ſibi tantoperè complacent, vt cum luce nefarium odium habeant ſuſceptum. Pergat crudeliſſima Gigantum progenies ad ſuas ſpecus, nec vltra Cælitibus bella moueat. Petat conſanguineas ſceleribus ſuis auras, teterrima cum ſuis ducibus cohors, & ſe æternùm victam quæſitis latebris fateatur. Iaceant proſtrati noui hi Iuliani, & Eccleſiæ caput Oculi huius ignei, pugnacis, ardentis, auſpicatis radijs, defendi doleant: Nos ad eum rurſus hilares acies noſtras referamus; rurſus enim ab eo noua lux, nouus ſplendor prodire videtur. Oculo viſionem refractam conuenire docent Optici, dum videlicet vna res per diuerſa media, radijs in corpus denſum quidem ſed perlucidum incidentibus, atque ſic corpus illud non penetrantibus, ſed in eo veluti diſſipatis maior conſpicitur. Sic matutino tempore ſol conſpectus per vapores maior videtur, ob radios in vaporibus diſſipatos; ſic in aqua demerſa maiora iudicantur, radijs in ſuperficie eius diſſilientibus ac refractis. Equidem ſic videre hallucinantis Oculi vitium eſt, & veriſſimè Seneca: Quidquid videtur per humorem longè ampliùs vero eſt. Sed Tuam Ocule noſter hallucinationem quâ Tuas Angelicas dotes nō ſatis noras,& Te omnibus demittebas,dum piè contemplor, audeo liberâ voce profiteri; longè Te prudentiùs erraſſe, quam omnes Philoſophi ſapuerunt. Venerat aliquando Religioſus quidam eiuſdem Familiæ Bononiam, vt ibi fortè quidpiam rerum neceſſariarum compararet. Ergo Aſceterium adit, ſocium itineris comitem in forum quærit, obuium habet SS. Doctorem nondum ſibi de facie notum. Edicit vt mandato ſuperioris pareat,ſibi permittentis, vt quemuis obuium fratrem in ſocium ſumeret; & ſe ſequatur præeuntem. Viro SS. qui ſemper parere didicerat, res haud magna viſa, fratrem iuniorem ſequitur. Sed quid! anima SS. quæ cœleſtibus intenta cogitationibus, corpus ſuum ſemper deſerebat; tunc etiam pedibus officium præ debilitate negantibus, deſiderio quidem obſequendi fratri fratrem præcurrebat; ſed corpore nonniſi ex interuallo ſequebatur. Frater reſpexit & ignauiam dixit, quod debilitas erat: inertiam appellauit, quod valetudinis affectæ fuit damnum: ſilente SS. Doctore quaſi ſi quis ſurdo conuiciaretur, vel littori loqueretur. Quæ vox A! quæ latera! quæ vires huius vnius demiſſionis commendationem poſſint ſuſtinere? Doctor Clariſſimus qui Bononiæ iam aliquot annos cum incredibili ſui nominis celebritate profeſſus fuit diuinam ſapientiam, & illa nunquam dignè ſatis æſtimanda non ſcripta, ſed miracula publicauit; is cum omnium ſummorum imorumq; venerationem collegiſſet, cum clariſſimis famæ præconijs, ad æternitatis ſudum euolaret, & in animis propè ac pectoribus omnium habitaret, ſic ſe deiecit, vt vix imis par conſtiterit. Non timuit quemadmodum hoc eſſent accepturæ diſcipulorum cohortes, quemadmodum huius facti rumorem, omnes populoſiſſimæ Vrbis anguli excepturi,

pturi,

pturi, cùm audiſſent, à ſimplici fratre, conuentu maximo, Bononiæ in foro, verbis mulctatum lumē ſui ſæculi clariſſimū; inertem vocatū qui tenebras Orbis laboribus ſuis illuſtrabat, qui altiſſimis ingenij virtutibus ſupra omnium ſæculorum genium eminebat, qui non tam ex corpore, & anima; quam ex ipſa ſcientiarum vaſtitate, conſtare videbatur. Hoc loco Te Sol, Te Cælum, vos ſydera alloquor, an quid in demiſſione maius, ſi ſuam demiſſio habet magnitudinem, conſpexiſtis. Non iam magne gentium Doctor, ſcientiam cenſorio configas ſtylo; qua ſi inflet: quam in SS. Doctore ſic vides demiſſam. Non iam Sapientiſſime Salomon in ius doctrinam voca; quod in ea ſit multa indignatio: quam in Oculo noſtro ſic vides mitem. Non iam prudentiſſimè Seneca intendas litem artibus liberalibus; quod earum conſectatio, moleſtos, verboſos, intempeſtiuos, ſibi placentes faciat; quas in Oculo noſtro ſic vides obſequentes. Non iam argutiſſime Perſi eruditionem odioſo vocabulo appella fermentum: quam in Oculo noſtro ſic vides depreſſam. Diſpunxit inuſtas has literis notas, ſua incredibili moderatione Oculus noſter, & dum erumpentem à ſe ſapientiæ maieſtatem, intra limites humilitatis coërcuit, effecit, ne vlteriùs literæ in vulgus audiant præceptrices vanitatis. Attollite, attollite bonæ literæ ſermonem veſtrum in erudita de SS. Doctore encomia. Ad eum exornandum, veſtrorum curas alumnorum conferte. In eius laudes feliciſſima contagione ac furore myſtico veſtros afflate vates. In eius elogia immortales Oratorum voces animate. In eius prædicationem hiſtoricorum perennem facundiam inſtruite ac formate. Libeat S. Doctorem vnicam ingenioſæ voluptatis materiem habere. Iuuet de ipſo non verſus, ſed lilia florido verborum apparatu condere. Dulce ſit in eius virtutibus mille acuminibus, mille feſtiuitatibus abundare. Huic debetis, quod iam à turpiſſima ignominia ſtultiſſimi faſtus, quâ propter detortas mentes laboraſtis, liberemini. Huic debetis, quod ad retinendam laudem veræ moderationis aſſurgatis. Cum dolore dico A. quod iam ſine probro literarum non poteſt reticeri: aliquæ nitedulæ turpiſſimæ ſordes ſuas affricant, inculpatiſſimæ doctrinæ, eamque in opprobrium ſæculi mittunt, & in deteſtationem generis humani, quaſi illa ſit, quæ cum ſanctiſſima modeſtia conſpirante amoris conſenſu nunquam coniungatur; quæ in ſuum contubernium ingenuam demiſſionem non admittat. Sed nimirum illos hæc flagellat contumelia, qui cum Phaëtonte vel Icaro ementitis volantes alis oculis ſuis nonniſi inanes incertæ famæ nubes, & rumuſculorum ventos, inter ſpirandum exſpirantes ſpeculantur, non conſiderantes interim non procul triſtiſſimæ perditionis mare eſſe, quod illos vanitate turgentes animos, demergat; quod illam gloriolæ ſitim totis fluctibus exſtinguat: quod præcoces volatus, pigrâ ſtagnantis Neptuni mole ſufflaminet reprimatque. At verò quiſquis in ſuam vitam profundiùs deſcendit, quiſquis ſe per ſuæ demiſſionis humorem intuetur, feliciſſima hallucinatione plus ſibi quàm alijs imperfectionis videt eſſe circumdatum. Dulcedine ſola dilectionis DEI proximique captus, ſe ſolum cum SS. Doctore deijcit ad contemptum, & cuiuſquam perſonâ celſior videri dedignatur. Nectare & ambroſia diuinæ contemplationis paſtus, ſolum DEVM

 cogitat,

cogitat, hoc corpus tanquam ſarcinam ignobilem; hæc corpori adiecta, tanquam peritura naſcentis velamenta reſpicit, paratus vel in ignem inijcere, ſi Deo ſuperioribuſque, qui Dei in terris vicem gerunt, ſic eſt viſum. Quæ verò ſequuntur quomodo iam dicam? aut quibus verbis exprimam & commodè deſcribam? nam & vox, & ſermo, & oratio dicenti pænè elabitur ac fugit. Hucuſque in deprædicandis Angelicis virtutibus lenè fluebat mens, ſurgebat oratio, nunc cæleſti quodam numine inſtincta, atque oraculo impulſa, ſupra omnem eloquentiæ conatum rapi potius in altum, quàm aſſurgere deberet, ſi illam Oculi noſtri mirabilem cum verbo incarnato ſympatiam vellet explicare. Cum de illa celſiſſima Crucis Cathedra ab æternæ Profeſſore veritatis, qui vt diſcipulos verâ doctrinâ imbueret, ipſa pectoris arcana, ipſam Bibliothecam cordis, in qua omnis ſapientiæ & ſcientiæ apices charitatis effecti characteribus cernebantur, reſerauit: ab illo inquam Magiſtro cuius vox nihil mortale protulit, non aberrantis vnquam ſuæ viſionis teſtimonium recepit, ſuamque lucem æterna conſpexit veritate ſtabiliri: Benè ſcripſiſti de me Thoma. At hic iam quærere libet, an tantùm non mea ſatis mediocris, ſed integræ omnino eloquentiſſimorum Iſocratum, Hyperidum, Cynearum, Demoſthenum claſſes, eloquio valere poſſet; vt pro dignitate huius magnitudinem facti, omnibus licet facundiæ coloribus accerſitis, omnibus orationis pigmentis exhauſtis delinearent. Excedit nimirum laus hæc vt omnem mortalitatis terminum, ita eripit quoque ſuæ prædicationis non facultatem tantùm; ſed ipſa aſpirantium deſideria, vel ideo à Verbo increato prolata, ne quiſpiam hic creatæ facundiæ loci quidpiam relictum arbitretur. Quare cedo oneri, agnoſco me argumento vinci, ſolâque confeſſione meæ tenuitatis innuere pergo, Oculi noſtri laudes infinito dilatari. Maneant & alia, quæ circa huiuſce Oculi ex falſa hac & teterrimis tenebris confuſa luce, in illud ſerenum quod nulla turbat vmbra deceſſũ, acciderunt facta; maneant inquam immenſitati ſuæ commiſſa; nam ea rurſus integras Panegyres, rurſus capaciſſimam mentem poſcunt: & Oculus noſter fatigatam orationem non in nouos labores; ſed in fauſtiſſimas gratulationes impellit. Eſt quod gratuleris tibi SS. Mater Eccleſia de hoc Oculo: ſi quando rurſus æſtu maligno concitata Hæreſis, horrenda irarum in Te vomet incendia: ſi tota inferni tonitrua, tota fulmina tonabit, vibrabit; ſi plena furoris, plena amentiæ odia, implacabiles dolos ſpirabit: ſi ferales turbas, metuendos tumultus renouare deſtinabit: ſi totos Plutonis exercitus totam Stygem armabit: habes quod opponas, habes ad quod illa contremiſcat. SS. Doctoris Oculus ſpeculum eſt, cuius non ſolùm fulgore monoculi iſti Polyphemi perſtringantur; ſed etiam ardoribus exurantur. Eſt quod gratuleris tibi celeberrima Religio de hoc Oculo. Nunquam quidem aliunde tibi luces & decora quæſiuiſti, cui domi natiua ſydera, domi Soles naſcuntur: at iam Oculus hic tantùm tibi lucis addidit, vt non dubitem Te Paradiſum appellare, cuius fortunatis pomærijs, nunquam ſeſe minima caligo infundit, à cuius beatiſſimis agris Sol cum omnia luſtrauit, adhuc tamen non diſcedit. SS. Doctoris Oculus iubar eſt, in quo omnes virtutis & ſcientiæ radij includuntur. Eſt quod gratuleris tibi & Tu totius Septemtrio-

nis

nis decus, bonorum ingeniorum fæcunda altrix, chariſſima mea Mater, Alma Vniuerſitas huius Vrbis. Quando in hoc Philoſophici Theologicique certaminis, plus quàm Panathenaico, plus quàm Prometheo vel Vulcanio curriculo, SS. Doctoris potiſſimùm tibi delegiſti doctrinam, quam ceu lampada continuâ ſucceſſione alijs poſt alios traderes, non eſt verendum, ne poſt exactum trium propè ſæculorum venerabile ſenium, viuido robore deſtituta, tandem fatigeris; & lentis paſſibus ad æternitatis metam progrediaris. SS. Doctoris Oculus non illa fabuloſa Promethei; ſed vera Spiritus S. virgula eſt, ſapientiæ cæleſtis collucens ignibus, cuius impertito ſalutari calore, de craſſiore etiam luto formata pectora, in velociſſimos poſſunt animari motus; cuius inſpirato vigore, teſtudineæ quoq; mentes, ad deſideratiſſimũ omnigenæ eruditionis apicẽ, non tantùm currere valent; ſed volare. Eſt quod gratuleris tibi & tu Flos lectiſſimæ Iuuentutis, Seminarium Reipublicæ noſtræ florentiſſimum, germen in ſpem magnam ſuccreſcens de hoc Oculo: quoties ad hoc exemplar vitam tuam expenderis, quoties hoc Oculo adhibito in vaſtiſſimum ſcientiarum labyrinthum, non multiplici tantùm viarum flexu, ſed etiam cognatis inſeſſum vmbris intuleris pedem, facillimè receptum inuenies. SS. Doctoris Oculus cryſtallinus eſt? vitreus eſt, in quo nullæ ſpecies ſic reſident, vt nõ ſinè mora tranſpareant intuenti. Quid an non aliqua mea inde felicitas eſt? quod hunc Soli ſimillimum Oculum caligante licet acie ſuſpexi. Tuo ſanè SS. Doctor Oculo, rectiùs illud competit elogium, quod non nemo de Struthionis oculis, pertinaci aſpectu pullos excludentibus de ſuis ouis, vſurpauit; Ex viſu Salus.

Ad Maiorem Dei OM. Gloriam; Auguſtiſſimæ Cælorum Imperatricis, Diuorumq; omnium Honorem.